

recipiant cum effectu. Datum Pragae, anno domini MCCC LXXXI. die penultima mensis Aprilis.

Nach einer Abschrift aus einem Codex der Dombibliothek zu Mainz von Schannat in Hartzheim conc. Germ. Tom. IV. p. 524 — 27.

No. 670. 1381. 28. Mai.

Das Capitel bestätigt die Stiftung der Jahresgedächtnisse des Decans Nic. von Aldenburg und der Eltern desselben, sowie der Domherren Joh. von Droynitz und Palbert von Mühlhusen, ferner die Vertheilung der an diesen Tagen, am Feste der h. Anna und der Octave des h. Leichnams, endlich am Feste der h. Dorothea und dessen Octave festgestellten Präsenzgelder.

In nom. dom. amen. Dignum arbitramur et congruum etc. Hinc est, quod nos Theodericus de Cappelndorf inter canonicos capitulares senior, archidiaconus Lusatae, Conradus Pruze praepositus Budissinensis, Gerhardus de Wolftitz praepositus Wurezinensis, canonici totumque capitulum ecclesiae Misnensis notum facimus — quod cum honorabilis vir dominus Nicolaus de Aldinburg noster et ecclesiae nostrae praedictae decanus ac etiam providi et discreti viri domini testamentarii et ultimae voluntatis executores honorabilium quondam virorum dominorum Johannis de Droynicz archidiaconi Nisicensis et Palberti de Mühlhusen cantoris Misnensis, nostrorum olim concanonicorum, in villis Scheschin et Horst ultra Albeam in districtu Haynensi situatis^{a)} et de proprietate nostri capituli consistentibus, quas etiam a nobis et nostro capitulo strennui Johannes de Mylin et Heynricus Crymmen clientes in feudum hereditarie tenuerunt et habuerunt, decem sexagenas et triginta unum grossos siligine et avena inclusis annuorum reddituum, videlicet dictus dominus Nicolaus decanus pro sua et progenitorum suorum salute tres sexagenas, testamentarii autem dicti quondam domini Johannis de Draynicz quatuor sexagenas, ipsius vero olim domini Palberti cantoris testamentarii tres sexagenas et triginta unum grossum cum certis oblegiis, pullis et ovis — a dictis Johanne et Henrico et eorum heredibus rite et rationabiliter emissent et comparassent pro certis pecuniis — iam integre persolutis, et ob hoc praefati venditores praenominatas villas redditus et bona cum omnibus iuribus utilitatibus et honoribus, quibus illas illos et illa a nobis et nostro capitulo hucusque habuerant et possederant, nullo penitus excluso praelibatis emptoribus in nostri capituli manibus pure et simpliciter resignassent, — cumque etiam singulariter dictus dominus Nicolaus decanus unam sexagenam grossorum annui census in villa Wulfenowicz districtus Dresdensis^{b)} nihilominus de suis propriis pecuniis in suae salutis augmentum a strennuo Petro de Elgirsdorf similiter iuste et rite emisset et comparasset, et eandem nobis et nostro capitulo appropriari procurasset — praefatique ideo domini Nicolaus decanus et testamentarii suprascripti coniunctim et divisim et quilibet illorum pro portione et rata in praemissis redditibus, ut supra tangitur, ipsum et factum sibi commissum contingente et concernente praefatos redditus omnes et singulos liberaliter et pie nobis et nostro capitulo pro observatione anniversariorum

a) Vgl. No. 664. b) Vgl. No. 661.